



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Dominica Secvnda Post Pentecosten.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

Crocodilum veteres, velut inimicitiarum atque odij implacabilis symbolum, pingebant. atque hæc esse traditur ratio: quod, cum animal hoc dentes habeat acutissimos, & fauces quibus integros deuoret homines, lingua tamen careat. Leo quidem rugit, serpens sibilat, lupus ululat, crocodilus tamen omnes crudelitate superat. Hinc efficere volo, inimicum qui elinguis sit, non loquatur, non obuium alium saluet, omnium inimicorum deterrimum & pestilentissimum esse, ac verum crocodilum dici posse. Quamobrem, o serpentes, viperæ, & noui crocodili, o corda iram fouentia, vindictamque spirantia, ferro quoque & arcu duriora, *dimittite, & dimittimini.*

Agite igitur Christiani, caritatem induite, misericordiam exercete, crudelitatem animo deponite, placidos vos & benignos exhibete: de alijs temere nolite iudicare, iniurias cõdonate, inimicos diligite, & quidquid in vos vnquam admillum est, obliuionis tumulo inferte. Ille vehemens ac noxius ignis dicendus est, qui non modo quæ proxima sunt, sed & remota absumit & inuadit. Sic & ardens amor ille vocari debet, qui igne amicitia Christianæ, non amicos modo, qui nostris moribus & affectibus proximi sunt, sed etiam inimicos, à quibus nimium quantum remoti sumus, incendit. Omnes igitur pari amore complectamini, ac neminem odio prosequamini, atque ita omnes sanctæ misericordiae partes expleueritis.

Tu vero o æterne Deus, hanc nobis virtutem elargire, quam tanto à te entius contendimus, quod ipse eiusdem auctor & fons sis. Atque huiusmodi modo sunt tempora, vt in solo cœlo eadem habitare, a terra autem exulare videatur: tu autem, quibus visum fuerit, quique se eadem dignos reddunt, eam cõmunices. Obsecramus igitur omnes, vt eam nobis concedas, omnem barbariem crudelitatemque, furorem & iram, passiones illas tartareas animarum tyrannos & carnifices eradicans: vt nimirum odio & vindicta seposita atque omnem sanguinolentiam exosi, iniurias remittamus, inimicos complectamur, omnemque offensam obliuionis tumulo condamus. Hæc scilicet sunt, quæ in misericordia

schola docentur, misericordiae inquam, virtutis illius regiae, quæ homines Deo simillimos reddit, rectaque eos ad æternam beatitudinem ducit, ad quam perducere nos dignetur qui trinus in personis & vnus in substantia est Deus. Amen.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De ingrati animi vitio.
- II. Cœna cur magna dicta?
- III. De vitio excusationis.
- IV. De emptore bouum.
- V. De uxorato quid statuendum.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

FIGURA.

Potens ille Persarum rex Assuerus, qui *Esth. 1.* centum & viginti prouincijs ab India vsque ad Æthiopiam dominabatur, tertio regni sui anno lautissimum satrapis suis & optimaribus parauit conuiuium. Ita post primum legis naturalis, & secundum legis Mosaicæ annum euolutum, & tertio legis Euangelicæ inchoato, regum Rex Christus tandem appulit, velut in tertio imperij sui anno. omnes mundi incolas, ad solenne beatitudinis epulum inuitaturus. Sub parabola eijusdam eximia inuolucris primam inuitationem videre mihi videor, quam vobis hac concione proponere decreui, si Spiritus Sancti opem, & Deiparæ Virginis suffragium postulauerimus, Angelicam salutationem eidem offerentes.

AUE MARIA.

Virtute & sanguinis nobilitate illustris Bernardus, natione Gallus, Ecclesiæque Doctor eximius, de ingratitude sermonem instituens, dicere solebat, nullum hac dari peccatum

I.
Ser. 1. de 7.
misericor.
Ingrati-
carum

tado quam carum posse grauius, aut detestabilius; ut potestando. re quæ & saluti ut plurimum aduersaretur, & quo nihil Deo magis displiceret. Audiamus verba, *Ingratitudo est gratia hostis, inimica salutis, quoniam nihil ita Deo displicet, quæ admodum ingratiudo.* Post Gallum in arenam descendat Italus, eloquentia & sanctitate quantum existimo, haud multum inferior, Petrus Rauenanas; *Nihil est, inquit, quod indignationem a deo prouocet Altissimi, sicut ingratiudo: ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, & meritorum exterminatio.* Hæc quidem à Christianis.

At non inferior, mea quidem sententia, eiusdem vitij castigatores culpatoresque apud Ethnicos fuit Seneca Philosophus, cui ad Christianismum non nisi nomen defuisse traditur: dicebat quippe passim, ingratiudinem amoris vinculum dissoluere, concordiam euertere, omnemque necessitudinis & familiaritatis nexum dissoludere: *Per se, ut verba illius genuina afferamus, fugienda res est, ingratum esse, quoniam nihil aque concordiam humani generis dissociat, ac destrahit, quam hoc vitium.*

Suum quoque huc symbolum conferens Plutarchus, ingratum serpenti, qui inter cetera animalia hominibus exosus esse solet, conferre non dubitauit, *serpentem alii, inquit, qui apud ingratum beneficium collocat.* Quid enim beneficij in viperam contuleris, non ideo naturam viperinam exuer, virus seponet, at beneficij immemor est, amicitiaque apud illam perit: nec secus ingratus, utpote, qui semper in eodem statu permanet, quoque amplioribus frequentioribusque beneficijs afficitur, eo & eadem minus animo voluit, benefactoris immemor, imo & in eundem sapius insurgens. Quin & idem Plutarchus ingratum similem esse perhibuit mortuo, cui neque vox, neque sensus inest, cuique immota fatiscunt lumina; *Perinde facit, qui ingrato beneficium confert, ac si cadauer pretioso oblima unguento.* Egregia profecto collatio: nam quemadmodum cadauer sensus omnis expers est, motuque ac vita destitutum est; adeo ut qui ipsum pretioso malo barathro perungere niteretur, actum ageret, omnemque o-

peram luderet; ad eundem plane modum ingratus velut exanimis, ad nulla beneficia, dona, signaque amoris & beneuolentia: ab alio collata commouetur, imo eadem ne perferrere quidem videtur; adeo ut quicumque in illum beneficus existit, oleum & operam perdat, nullamque compensationem sibi promittat.

Nobilis ille Philosophus Pythagoras, Pythagoræ inter cetera, quæ suis proponere solebat, symbolum. bola, canit, ne quis sub tectum suum admittat hirundinem: quorum verborum enigmate denotare voluit, hominum consortio & contubernio ingratum cuius typus hirundo, penitus excludendum. Hirundo namque tametsi ad quadrimestrem vel semestrem nostris in laquearibus nidificauerit, garrituque nos suo interpellarit, in salutato auolat hospite, heroque nullum præter sordes & stercora legatum relinquit. At non ita ciconia, quæ quauis alio quotannis commigrent, & non nisi apud nos peregrinentur, quam diu nostris in ædibus agunt, bufones, ranas, viperas, lacertas, quæ nocere forsitan possent, deuorant, atque adeo venenum omne infestum dispellere consueuerit, hospiti hac ratione numsiolum loco quodammodo satisfactura. At nihil minus hirundo, genuinum ingratorum exemplar; hic enim post plurima in se collata beneficia, donaque sexcenta, amorem eximium declaratum, nos fugiunt, & de nullo minus quam de gratia referenda solliciti recedunt, exclamem igitur merito, O pestem & scelus detestandum!

Alijs etiam coloribus & noua ne dicam fuligine eandem depingit Bernardus, *Ingratitudo, inquit, inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens fontem pietatis exsiccat.* Ac parua quidem hæc, si quæ Sancta Scripturæ volumina in eandem exonerant, dispiciamus. Quot Deus bone, inuestiuias, quot minas videre est in ingratos: quoties de iisdem exoptulat? quoties eos idem detestatur? quoties denique ingratos dignis in utroque testamento supplicijs legimus affectos? An non enim Angelum in libro Iudicum Israelitas ingratiudinis coarguentem videre est, *Iud. 1.* atque

atque ita coarguentem; ut lacrymis præ confusione obortus intrinsecus commotus sint? Iacob Patriarcha Labanum ut ingratum fugillat, beneficiaque in illum & gregem vniuersum collata, verbis profecto efficacibus, illi in memoriam reducens, hac eum oratione compellauit: *Per viginti annos in domo tua seruus tibi, quatuordecim pro filiis tuis, & sex pro gregibus tuis, immutasti quoque mercedem meam decem vicibus: quis igitur gener focerum ingratiorem expertus est, qui mercedem mutando me toties circumuenisti, ingratiudinem tamen tuam non immutasti, aut exuisti. Carpitur quoque nimia illa ingratiudo præpositi pincernarum Pharaonis, qui in Iosephum benefactorem ingratus exiit, ut qui maxime: *Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Neue etiam minus illa Saulis regis, quam erga Dauidem declarauit. At dici non potest, quam ingratus erga Deum exstitit rex Ieroboam: cum enim solius Dei opera auxilioque è plebeio ad purpuram & solium Iudaicum esset euectus, corrua erexit, superis bellum indixit, populum seduxit, diuinoque cultu proculcato, ad vitulos aureos plebeculam inuitauit. Iudæorum quoque peccata reprehendens Deus, Iſaie verbis, ingratiudinem eorum potissimum notauit, *filios, inquit, enervius, & ipsi spreuerunt me: cognouit bos possessorem, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit.***

In nouo porro testamento, quam grauis in ingratos irrogantur supplicia? Matthæi 8. seruus in conferuum insurgens, & proinde ingratiudinis notatus, in tenebras relegatur exteriores: nouem quoque leprosis sanitati restitutus, quod gratias vero Esculapio Christo non agerent, ingratiudinis nota inuitur. Apollolus demque Paulus inter cetera, que in fine mundi ac temporibus nouissimis emerfura sunt flagitia, ingratiudinem etiam enumerare non dubitauit. *Hoc autem scito, inquit, quod in nouissimis diebus inslabunt tempora periculosa, & erunt homines scipfos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemæ, parentibus non obediens, ingrati, scelerati.* Longiori porro hoc exordio aduersus

1 om. 2. Pars Æstina.

ingratos ingratiudinemque concinnato versus sum, quod hodiernum Euangelium in ea potissimum versari materia videtur: tria siquidem nobis hominū genera velut in theatro spectanda proponit, quæ ad magnam illam cœnam inuitata, magno profecto ingratiudinis exemplo, venire noluerunt, & nescio quibus curis distenti, quod adesse non possent, sese excusarunt. Verba textus sunt hæc, *Homo quidem fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Porro verborum horum occasione primo de cœnæ magnitudine, dignitate ac præstantia, deinde de vocatorum ingratiudine acturus sum, ac duobus hisce membris vniuersam Euangelij substantiam comprehensurus.

Primo igitur, antequam vela ventis laxemus, notandum est; Christo Domino sabbatho quodam in Principis Phariseorum & cœnandi gratia inuitato, aliquem è simul discumbentibus, inter mensas, occasione conuiuij cui intererant, dicere cœpisse, *Beatus, qui manducabit panem in regio Dei: ac tum vicissim horum verborum occasione saluatorem confestim egregiam illam parabolam, qua magnitudinem cœnæ cœlestis, liberalitatem & amorem inuitantis, ad eandem admittendorum felicitatem, & excludendorum infelicitatem declarauit, in medium protulisse. Atque hæc est, Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Homo, qui luculentam hanc cœnam instruxit, patrem designat haud dubie cœlestem, qui nam inde ab omni æternitate æternam nobis beatitudinem præparauit: atque hoc ipsum verba Euangelij deuorant, *Tunc dicit rex, qui à dextris eius erunt, Venite benedicite patri mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Homo siquidem dicitur, quod hominis creator sit; & cum homo omnium illius operum sit primum & excellentissimum, & quodammodo omnium conditorum miraculum, ipse in tantæ rei significationem, nomen hominis vltro sibi assumpsit: homo quoque dicitur, quod hominem cum primis diligat ac complectatur, & quoniam amor communia facit amicorum omnia, hinc vult & hominem de diuinis participare, & sibi hominis qua-

K Ita-

II.

Euangelij
batho quodam in Principis Phariseorum & declaratio.

Matth. 25.

Cur Deus
pater homo
& appelletur.

licites ac nomen adaptare. Homo denique vocatur; quod filium vniuentum hominem, hominum redimendorum gratia, inducere voluerit: cumque filius patri diuinitate sit per omnia æqualis, simulque homo sit, & hominis gesserit insignia & characteres, Pater qui idem prorsus est, quantum ad diuinitatem, cum filio, similis quoque; secundum humanitatem esse desiderat, eisdemque signari insignibus, eodem diei nomine. Merito hinc Euangelista scribit, *Homo quidam fecit cenam magnam.*

Cœna hæc Porro magna hæc cœna, ex communi beatitudinis SS. Patrum sententia & expositione, æternam beatitudinem designare videtur, ad quam iam inde à Baptismi lauacro inuitati sumus. & quomodo inuitati? per vnicam

Cur magna Euangelij prædicationem, prout Dominus dicitur.

ex hoc mundo ad Patrem transcendens, Marci vlt. discipulis vnum in locum congregatis iniunxit; *Euntes in mundum conuersum, predicate Euangelium omni creature.* Magna autem dicitur, primo quod qui eandem instruit & adornat, magnitudinis sit infinita teste Psalmographo, *Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis,* & alio in loco, *Quis Deus magnus, sicut Deus noster qui in altis habitat?* item: *Magnus & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt, & rex magnus super omnes Deos.* quibus omnibus testimonijs vnica Dei magnitudo, potentia, infinita maiestas & admiranda denotatur.

Deinde magna nuncupatur, quod nullis temporis terminis, nulloque aui spatio circumscribatur, vt quæ sine fine fiat, semperque duratura sit, vnde Christus de aqua fontium æternorum, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cœna igitur magna, appellari merito vita potest finis experta, beatitudinis infinita, & quæ in beatitudine æterna sit.

Cœnam magnam. Magna adhæc nominatur, vt ita a mundanorum cœnis conuiuiisque distinguatur, cum hæc bæcua sint & quamprimum desinant. Etenim ipse mundus cœnas quidem instruit & epulas luculentas, sed præterquam quod breui mensæ

remoueantur, & exigua in iisdem voluptatibus percipiatur, crudelitatem, sanguinem, feruitatem, feritatemque spirant & propinant. Testis sit sanguinolentus ille Adoni bezech, qui quoties mensæ accumberet, septuaginta reges diademate olim redimitti sub mensa illius catellorum instar cænis innexi, ciborum reliquias fragmentaque colligebant, *Dixitque Adoni bezech, Septuaginta Reges amputatis manuum & pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* Mundi personam sustinet tyrannus hic. ille namque quoties epulas adornat, reges & principes & alia hominum genera sub mensa vincita & compedibus innexa habet, eandem more eadem enutrit, reliquiasque ciborum contentim obiectans. An non sub crudeli hac mundi mensa filius ille prodigus, paternæ hæreditatis dilapidator, lurco ille gurgusticus, fame emoriebatur, & porcinis famelicum implere ventrem filiquis exoptabat? & tamen frustra, nemo enim illi dabat.

Quid? an non peccatores instar mancipiorum & seruorum sunt, sub mensa tyranni huius reptantes; cum terræ sordes & quisquillas magna animi contentione summaque industria coaceruare nituntur, & faeces, fræces & amurcas rerum inferiorum bibunt? Quid enim? quæso, est aurum, argentum, electrum, fericum, byllus vestesque holosticæ & acu phrygia pictæ, quam faeces & terræ quisquilla, quibus tamen peccatores sese inebriant, saturant, & corrumpunt? Quo commodissime referri queat illud Psalmographi, *Veruntamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terra.* At huiusmodi missus in nostram non inferuntur cœnam.

Dicitur adhæc magna, quod nonnisi grandia & magnifica in illa apponantur fercula, quod gaudijs & iubilo redundet, quod omnis doloris nescia, quod curæ sollicitudinisque experta sit. At nihil huiusmodi conuiuia mundanorum præferunt, vt quæ semper doloribus, anxietatibus & remotu condita sunt, & amaritudine velut aromatibus singula fercula permixta. Inuitauit olim mundus Euam eiusque coniugem

Ada-

Psal. 144.
Psal. 107.

Ioan. 4.

Iudic. 1.

Luc. 15.

Psal. 74.

Genes. 2.

Adamum in paradiso terrestri velut ad secundas mensas & bellaria, & cheu! in primo bolo, mali scilicet intoxicati, sibi suisque posteris exitum pernitentemque inuenere. Aliud deinde epulum geniale filius Iob in fratris primogeniti ædibus instruxit; sed tantum absuit, vt genio conuiuæ indulgerent, ac largioribus sese poculis peterent, aut aliquod solatium inuenirent, vt subito casu concidentibus ædibus, dolor vndique, & vndique mæror, gemitus, eulatuque exaudiretur, conuiuæque omnes ad manes nec opinantes descenderent. O cœnas nouas & inauditas! Sed audite & alias.

Gen. 44. Inuitauit quoque olim in aula Pharaonis ad epulum solenne omnes Iosephi fratres, cumque non nisi voluptatem & lætitiã spirarent, ecce tibi repente rerum mutari vices, & omnia luctu & gemitu personare: omnes enim vt fures, vincti in carcerem conjiciuntur, Benjamin furti accusatur, rex causam eorum disceptari iubet, Ioseph actionem intentat, summus regni Præses iudicio præsidet, causæ caput est, quod aureum Principis scyphum clanculo surripuisse diceretur. Triste haud dubie conuiuium: sed ipsum quod iam narrabo, nequaquam cedit. Esb. 1. Idem ille mango in aula Assueri Persarum Regis conuiuium aliud instruxit, prioribus numero & elegantia ferculorum non inferius, at tempore multo superius, q̄ ad aliquot menses extendit, & conuiuiarum multitudine, ad quod nempe omnes regni Satrapæ & proceres inuitati sunt: at quanta amaritudo exigua voluptatæ permista! quam tenue gaudium, quam graue exitium! Vasthi Regi- næ libellus datur repudij, diademate spoliatur, & in ordinem redigitur.

Dan. 5. Aliud item conuiuium parat in aula Babylonici Monarchæ Baltasaris, inuitat vniuersos regni proceres, Principes, & magnates, sed pro rerum vices! extrema gaudij luctus occupat; risus speratur, at luctus subintrat; Princeps regni & conuiuij caput mortuus à mensa aufertur! ô casum inopinatum! ô tragicam ac funestam catastrophem! Sed nemo miretur, conuiuia sunt mundi, & cœnæ falsarij.

Alia profecto Dei cœna est, & longe dissimilis; ac præsertim magna illa beatitudinis æternæ cœna, beatis omnibus præparata, à qua omnis anxietas, luctus, tristitia, molestia, cura, amaritudoque exulet, est quam perenne gaudium, voluptas finiri nescia, delitiæ semper duraturæ stipant; & cuius ferula è dulcissimi constant & mellita sunt: testatur id Psaltes, dum ait, *Parasti in dulcedine tua pauperi Deo; alio item loco, Torrente voluptatis tua potabis eos.* Psal. 67.

Notate hic per transfennam docti, voluptatem, quam cœna illa continet, torrenti comparari, tum quod è violentia quadam Cur caeleste amoris in beatos deriuetur; tum quod a sum gaudium ma diuinæ maiestatis essentia cum impetu torrenti cõdescendat; tum vero vel maxime, quod per feratur. angustos beatarum animarum canales, exiguosq; prædestinatorum tubulos delabatur. Hinc bene in Euangelio scriptum est, *Intra in gaudium Domini tui, vt euidens fiat, voluptatem instar abyssi esse, in quam absorbetur, quotquot in beatitudinem perueniunt, animæ.*

Alia quadam metaphora gaudiorum illam immensitatem declarauit gentium Doctor Paulus, cum *eternum gloriæ pondus eandem appellet; perinde ac si dicere voluisset, tantam tamque amplam voluptatem hanc esse tantiq; ponderis, vt animæ ipsæ, nisi supernaturali quadam virtute sustollantur & in sublime librentur, eandem nequeant comprehendere: adeo vt nec hominum nec Angelorum linguæ eidem exponenda sufficiat. Vnde mento idem Apostolus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Id est, solus oculus videre, auris sola audire, solum cor in homine desiderare potest, tanta tamen beatitudinis illius immensitas est & magnitudo, vt hosce limites egrediarur: neq; enim tanta oculorum viuacitas, neue tanta aurium subtilitas, nec deniq; tanta mentis capacitas, vt illius amplitudinem comprehendat: veruntamen, si oculos in res hæc inferiores coniciamus, argumento à minori ducto ad maius, facile ad caelestium & sublimium ac præsertim voluptatis æternæ cognitionem, coniecturando perueniemus.*

Simile.

Si quis aulam Principis alicuius ingref-
sus, & in eam profundius sese ingere-
ns, & calones fufureis, attamen candidif-
simis, & faporis iucundissimi panibus, qui
immensam comedentibus voluptatem af-
ferrent, velci cerneret; an non quamprimum
in de colligeret, panes e farina & polne con-
fectos in solius Principis eiusque filiorum
mensam inferri solitos, infinite lapidos &
duces esse? Ita de rebus mundi huius sub-
lunaris, cœlestis, qui beatitudine redundat,
respectu, vere affirmare possumus: si enim
voluptates mundanas, quæ non nisi fufuræ
sunt, & facem terrenam redolent, & in fer-
uorum, lixarum, peccatorum, animalium
denique & brutorum vsu referuatae sunt,
tantam iucunditatem secum trahant, & tan-
topere delectent: quales, puritas, futurae sunt
voluptates & obiectamenta supidissima,
quæ a diuinae illius essentiae fruitione profi-
ciscuntur, & animabus sanctorum beatorum-
que communicantur. Merito igitur homo co-
enam magnam fecisse legitur.

In cœna be-
atitudinis
mera salu-
britas.

Exod. 16.

Hæc porro cœna, quod omnibus satisfaciat, omnes æqualiter reficiat, vt nemo alteri quasi minus refectus inuidere queat, merito ob excellentiam, splendorem, dignitatemque deprecanda est: Sanctorum siquidem minimus tantum voluptatis percipit, quantum Seraphinorum, caput & princeps. Hinc Moyses, huc habito forsân respectu, Hebræos in solitudine Sinai, de colle-ctique mannae dubios alloquitur, *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit, ad vesendum, Gomor per singula capita*. Mirum profecto, eandem mensuram magnis suffecisse, quæ minoribus, & minoribus non superfluisse, cum maioribus sat esset: & magis etiam mirum vnam eandemque voluptatem omnes eodem in cibo degustasse. Mystice cœlestem hic beatitudinem designare crediderim, Auditores, & manna illud æternum, quod in cœlis in cœna beatitudinis cœlestis depluit, plenam beatis voluptatem adferre, nec vllum inuidiæ locum relinquere: & eandem essentiae huius immensæ mensuram, omnibus omnino sanctis sufficere; atque vnum quemque quantum sibi necesse visum fuerit, Gomor sicut in singula capita, colligere,

In epulo illo quod Ioseph fratribus in A-
gypto parauit, exacta ætatis discumbentium
habita est ratio, ita vt primogeniti & ita
consequenter in capite mensæ recubuerint,
*Et sederunt coram eo, teste S. Scriptura, primo-
genitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta
ætatem suam, & mirabantur nimis sumptis
partibus, quas ab eo acceperunt.* Notate rem
miram & stupendam, illos scilicet, qui tan-
to prius fratrem odio prosequabantur, atque
ex inuidia in mortem illius conspirauerunt;
simul cum eo mensæ accumbentes, omnem
ex animo rancorem deposuisse, & inuidiam,
si quam prius conceperant, exuisse. Eadem
simul opera hic designatur, in magna illi
gloriæ sempiternæ cœna, quam verus Ioseph
beatis aliquando exhibebit, omnem in-
uidiam seponendam: tanta quippe cœnae huius
perfectio erit & eminentia, vt vnus alterius
eminenti ori licet in gloria versetur, non
sit fortuna inuisurus. An non igitur merito
legimus, *facti cœnam magnam.*

Et vere magnam, tum ob rationes super-
ius allegatas, tum vero quod in aula illa re-
gia & sublimi cœlorum habitaculo, cuius dignitatem
dignitatem ac splendorem hominum ne-
quit mens comprehendere, insituitur. Ve-
rum tamen vt imaginatione saltem fide-
rem intelligatis, proponite vobis ob oculos
regem, magnificum quoddam palatium
molientem, cui ad splendorem nihil
desisset, quam excellens id futurum credi-
tis? at si omnes orbis Monarchæ ac Reges
in illius constitutionem conspirarent, at si
deinde omnes orbis incolæ illud ipsum molirentur;
quam superbum & magnificentum
id fore palatium credendum est. Si vero An-
gelorum aliquis id in opus operam suam
impenderet, non est dubium, quin maio-
rem ei decorem ac pulchritudinem adde-
ret; si autem iam vniuersa Angelorum hier-
archiæ in ipsum incumberent, diuinius
adhuc crederim illud futurum. At si tan-
dem Deus ipse opus hoc in se susceperet,
quale tandem palatium illud futurum puta-
tis? Cum igitur Deus ipse suis aulam cœle-
stem manibus, cœnae huius celebrandæ gra-
tia, præpararit; quale opus esse arbitra-
mini? quæ illius splendorem pro dignitate
mente.

mente comprehendat? Sed hoc vnum animo fixum habeat ac certum, nihil eorum, quæ desiderari aut exoptari a quodam queant, illic deesse. Hinc Plantes amore inebriatus diuino & ad coeleste hocce domicilium anhelans, exclamat: *Quam diu eſta tabernacula tua Domine virtutum, concupſiſti & deſiſti anima mea in atria Domini: in quibus homo fecit cœnam magnam.*

1. Cœna porro appellatur & non prandium, quod hoc circa meridiem, illa vero circa vesperam ac diei terminum institui solet, postquam nullus deinde cibus sumi solet. Imprimis vero, vt designet, mundum suos ad prandia inuitare solere, sed incœnatos domum remittere: quidum dies est, & atatis quodammodo meridies, omni delictiarum apparatu illos excipit, ac circa vesperam & in mortis articulo, fame enectos abigit, & rubore suffusus & parum latus dimittit. Atque hunc in modum mundi personam representans, loquitur Baruch Propheta: *Nutriti illos cum succunditate, dimisi autem illos cum fletu & luctu.* Et apertius multo Propheta regius: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur: vt canes.*

2. Leonides Atheniensium ductor, quadam tempestate suos ad fortiter pro patria pugnam adhoratus, his illos, vt in Tusculanis Tullius prodidit, verbis compellauit, *Prædeamus modo tanquam apud inf. r. cœnari.* His suos etiam verbis compellat mundus, eisque tantum modo prandium proponit ac deinde ad inferorum cœnam & subterranea regna transmittit. Testimonio id quoque confirmat Iob Prophetes, *Ducunt in bonis dies, nos, Luculenter scilicet prandent, & in puncto ad inferna descendunt, incœnati dimittuntur, & fame emoriuntur.* Deus autem suis hic quidem prandium adornat, & post vitæ vespertam cœnam luculentioram, iuxta Euangelicam parabolam, *Homo quidam fecit cœnam magnam præparat.*

3. At ne hic eius subſtitit beneuolentia, sed postquam epulum hoc soleanne instituiſſet, vocauit multos, id est omnes: omnibus ſiquidem æternam beatitudinem offert, & ad vnum omnes vult ſaluos fieri. At diuerſimo

de nos vocat, & vijs diſparibus, hos per Anbeatitudi-
gelos, illos per Prophetarum oracula, alios nis inuitat.
prædicatione Euangelica, alios institutione
Pastorum, nonnullos instructione Doctorum,
aliquos per gratias datas beneficia allieit, quodam per flagella aduerſitates compellit, plurimos inspirationibus intrinſecis & moribus ad pietatem tendentibus attrahit, multos deniq; miraculorum energia permouet. Quin & ſeruos & domesticos huc & illuc delinat, qui inuitent, & tergiuerſantes compellant: in lege naturæ emiſit Patriarchas, in lege Moſaica Prophetas, in lege denique Euangelica filium miſit & Apoſtolos. Sed cheu! nullus inuitatorum cœnæ voluit intereſſe, omnes excuſationes prætendunt, quas ſecunda hac concionis parte aperiam.

Et ceperunt omnes ſimul excuſare. Ne Omnes peccatores excuſant.
ſcio profecto, quam ratione peſſima illa inter homines inualuerit conſuetudo, ſemper vt reprehendi delicta excuſando minuere contentur, & nunquam culpam vel intagnoscere: à primo quidem generis humani parente nefaria illa conſuetudo cepit initium, & ab illo in poſteros continua ſucceſſione tranſmiſſa eſt. Ille ſiquidem à Deo interrogatus, æquanam præſumptione & audacia pomum vetita ex arbore guſtare non timuiſſet, tantum abſuit, vt Deo peccatum confitens veniam rogaret, vt etiam friuola quadam excuſatione palliarit, dicens: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, ipſa dediſt mihi & comedi.* Atque eadem illa mulier, inquam maritus jam culpam coniecerat, rogata cur pomum comediſſet, præter reſpondit: *ſerpens de cepit me.* Vide vt uterque ſe excuſet, atque ad eorum imitationem omnes omnino homines: alius ſiquidem ait: *Caro me tentauit;* alius, *dæmon fascinauit;* hic conſuetudini nefariæ delictum adſcribit, ille fragilitatem naturæ culpatur: adeo vt nemo oculos quibus delicta perſpiciant, videatur accepiſſe, omnes ſe integros vitæ credant, & vitæ carere. In quo ſolidam illam Harpaſtem, de qua Seneca, imitamur; quæ amiſſis præ ſenio oculis, ductorem ſuum rogabat, alio vt ſe dederet, domum ſibi illam obſcuriorem videri. Eadem proſus noſtra ſtoliditas eſt ac

dementia, vt, cum consuetudine praua illigati teneamur, & quodammodo excæcati, nos ipsos & calamitatem nostram miseri non agnoscamus; cumque terra scelerum & vitiorum fuligine infuscata simus, neminem nobis vitæ sanctimonia censeamus præponendum.

Nulla porro pestis hoc in mundo haberi potest capitalior, atque ideo Pfalter, quo ab eadē turis & immuns exittat, maximo quo potest affectu Deum deprecatur: *Ne declines cor meum in verba malitia, ad excusandas excusationes in peccatis*. Et profecto ipsæ excusationes sunt verba malitiæ, & accusatio liberaque confessio verba virtutis. In quam egregiam depromam allegoriam. Primus mundi inquilinus, primus quoque præuaricator Adam, admissio jam crimine, in interiorem paradysum sese conferens, & pudore sui erubescens, foliis ac ramusculis nuditatem velare incepit: atque ex eo tempore folia excusationis figura existere, qua peccatorum nostrorum nuditatem turpitudinemque conamur obtingere.

Excusatio Iob Propheta vniuersam infandi tenebrarum Principis armaturam muniminaque delineans ait: *Corpus eius sicut scuta fusilia, compactum squamis*: quo moralem loci huius sensum eruã, insinuare videtur, peccata, quæ a dæmone proficisci solent, non secus ac scuta ad excipiendos ictus, semper ad se defendendum parata esse: squammæ quippe excusationes sunt, quibus se peccator ad singula momenta defendit, ac velut innocetem propugnat, vt fecisse hodie comperiuntur, qui ad cœnam hanc fuerant inuitati.

Et cœperunt omnes simul excusare. O vesaniam intolerabilem! ò insensatos ac stolidos, qui cœnam hanc & mensam regiam fastiditis! Equis enim honor est, ad Principum cœniua vocari? Aman testis huiusce rei futurus, qui solus ad Estheris reginæ conuiuium inuitatus, fortunam suam deprædicabat, seseque mortalium omnium viuere credebat felicissimū; vnde ait: *Regina Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me.* Ipse quoque Dauid adolefcens Goliada

prostrato, victorijs turgidus & inflatus sese jactando dicebat: *Ecco Kalenda sunt crastina*, 2. Reg. 10. *Et ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum.* Idem quoque Dauid, postquam pastorem & opilionem exiisset, & ad regiam dignitatem euectus esset, Ionathæ filium Miphiboseth in patris gratiã beneficijs affecturus, dicebat: *faciens faciam tecum misericordiam* 1. Reg. 9. *propter Ionatham patrem tuum, & restituiam tibi omnes agros Saul patris tui, Et tu comedes in mensa mea semper.* Eodem beneficio affectit & Bercellaium Galaaditen, in gratam benefactorum memoriam, quæ fugiens & regno profugus ab eo iam olim receperat. Quin & Euilmerodach Babyloniorum rex, regiam dignitatem in Ioachim rege Iuda; quem captiuum abduxerat, honoraturus, eundem mensæ socium esse voluit. Hinc igitur euident est, quanta laus sit ac gloria, quamque regium, Principum conuiuium dici: quantaque e contra castigatio & reprehensio inuitati nostri digni sint, qui ad cœnam hanc luculentam vocati venire neglexerunt, friuolis quibusdam negotiorum agendorum excusationibus prætextis: quas cum diligenter excusfero, tria potissimum excusantium genera reperio.

Primus, arrogans quidam est ac superbus, diuitijs turgescens; ex vngue leonem, e voce typhum agnosco: *Villam*, inquit, *emi*, *neCESSO haec eo exire*, *Et videre illam* En Gigantem Pelion Ossæ imponentem, terminos ac limites dilatantem, villas & agros coementem, quo ceteris dominetur, & nulla aratro iugera relinquat. Ambitio scilicet turbo pestilens est, & cholica ventosa, quæ sexcentos dolores caufatur & infinitis hominum cerebrum complet stoliditatibus: quæque in primis animas a cœli tramite deuiare, & ob friuolos nescio quos prætextus, æternæ beatitudinis præmium cogit contemnere. Testem hic luculentum habemus, qui ob villulam coemptam cœnæ splendida & ferculis referta interesse negligit.

Hinc notandum venit, tria potissimum vitiorum esse genera, quæ mundum nimium quantum contaminent, & toti propemodum terrarū orbi dominantur; quæ Ioannes Apostolus

Psal. 104.

Allegoria.

Excusatio
folijs com-
parata.
Iob. 41.Item squam-
mis.Mensæ prin-
cipum ac-
cumbere
honorificū
est.Tria pecca-
torum gene-
ra mundo

stolus in scenam producit: *Omne*, inquit, *quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, id est, detracta larua, luxuria, auaritia, & ambitio, tria inquam monstra terretima, tres furie perniciose, quæ dura mundum diuexant tyrannide, & graui feruitutis opprimunt iugo. Et quoniam tria illa peccata, velut fontes sunt & scaturigines, vnde reliqua omnia promanant, ac veluti capita & vertices; hinc tria quoque singularia animaduersionis exempla commemorat, quæ Deus edere voluit, vt terra hæc monstra ex hominum mentibus eucleret. Prima in cælo peracta est, qua Angelorum superbiam & ambitionem castigauit; altera luxuriam tempore Noe vniuersali diluuii perdidit: *Omnis enim caro corruperat viam suam*. Tertia in fine mundi in auaros exercebitur: *tunc enim refrigeret charitas multorum, & pietatis viscera exaruerint, auaritia porro per omnia inualuerit*. Tria quidem hæc peccata detestanda, & cane peius & angue fugienda; sed in primis superbia & ambitio.

Exstat in Deuteronomio decretum, quo omnes negotijs implicati militia prolecebuntur: *Si qua est, inquit, homo, qui edificat domum nouam, & non dedicauit eam vadat, & reuertatur in domum suam: quis est homo qui descendit vix rem, & non accipit eam, vadat & reuertatur in terram suam? quis est homo formidolosus & corde pauidus? vadat & reuertatur in terram suam*. Militiæ species vita est Christiana, Auditores, a qua tria hominum genera velut inepta, & obfutura potius quam profutura reijciuntur: *Edificantes*: ecce ambitiosos amore inefecti & sponsi: carnales intelligo & libidinibus deditos: meticolosi & inertes: per quos auaros cupidisque designatos credidit, qui numquam non metuunt, ne quid ad vitam honeste, fordide potius, traducendam desit, & quibus noua possidendorum numerorum sitis, diu noctuque inquietis sollicitudinisque faces inijcit, & leporinos timores incurrit. At ambitiosus in primis ad cælestia spiritualiaque comparanda prorsus inepta est: vt qui hic pluris putidam villam, quam in beatitudine cælesti habendas volu-

ptates faciat. *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam*. Notandum est hic obiter, a passione illum ambitionis teheri & quodammodo possideri, adeo vt sui juris minime sit, ab eadem cogatur, vrgeatur, & cælestia terrenis postponere compellatur.

Alter qui excusare se cupit, auarus est, *Auarus à quin & loquela ipsam manifestum facit, Luca 14. ga boum, ait, emi quinque & eo probare illa, rogo te, habere me excusatum*. Post ambitionem, non est pestis capitalior nullumque viscus, ad animas detinendas, terrenisque affigendas, ne ad cælestia suspirent, tenacius auaritia. Et quemadmodum auium regina aquila, si pedes constrictos habeat, aut pondere aliquo grauiori detineatur, in altum se librare, aut a terra sese nequit sustollere: ita spirituum omnium princeps anima, terrenarum semel rerum sollicitudinibus implicata, curisque mundanis irretita, exurgere nequit, neue ad æternæ gloriæ sublimitatem euolare. Quo collineans optime scripsit Augustinus, *Amor rerum terrenarum, viscus est spiritualium pœnarum*.

Moses rubum ardentem, nec tamen ambustum videre cum vellet, a Deo recedere iubetur, & non nisi solutis calecamentis, & nudis pedibus accedere, *Ne appropies huc, solutus calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est*. Eximium in hoc præcepto mysterium latet; docemur quippe omnes rerum mundanarum affectus exuerem, & amore terrenorum seponere, vt ita eordi diuini amoris surculos inseramus, & æternæ beatitudinis desiderium intrinsecus concipiamus, soluenda prius sunt calecamenta sordida, atque amore terreno puluerulenta, quam cælestium rerum cogitatione saginari, & diuinorum contemplatione potiri valeamus; locus enim cælestis sanctus est, ac sanctimoniam requirit.

Quamprimum vt Samaritana mellita ac suaui Iesu verba audiuit, hydria apud puteum relicta, in urbem quam celerime properauit, quo ciues suos de Messie in mundum aduentu certiores redderet, illiusque nomen per urbem.

imperan-

luc. 6.

Matth. 24.

Deut. 10.

Allegoria

regnis.

Auarus à
cæna se ex-
cusat.Serm. 31. de
verb. dom.

Exod. 3.

Ioan. 4.

hem diuulgaret. Insigne profecto documentum, fatimur licet in ludo proficium; quo docemur, amorem nostrum in caelestia & aeterna tam efficacem esse debere, tantaque energia, ut illorum ergo omnes auaritia ambitionis ut hydræ rebus mundanis, transitorijs & fugacibus refertæ, protinus deserenda sint. Quamprimum enim ut caelestium mentionem fieri audis, aures pellacib. mundi cantilenis occlude. Sed in allegorijs procedamus ulterius.

2. Reg. 5.

Giezi auri cupiditate estuans, ambitioneque qua sperabat se locupletem ab omnibus suspiciendum, turgens, nummulis quibusdam coactis, oliueta & vineas cum coemisset, Elisæi magistri sui gratia excidit, & albicæte Naamanis lepra percussus fuit. Hinc colligere est eos, qui magna animi contentione, summoque studio ditescere nituntur, & terrena ambiunt, Dei indignationem incurere, & eadem qua infideles, lepra & peccato infici, at lepra candida: nam quemadmodum nix oculos candore suo perstringit, ut qua eundum sit videre viator nequeat; ita & cupiditas, & nimium erga terrena affectus animi oculos intantum offuscatur, ut nec cælum intueri, nec semitam, qua eodem deuenitur, videre queat.

Plu. de cupidit. diuit. Similitudines egregie

Quin & alia sunt auaritia effecta; mentem namque deprauat, animos excæcat, & sapientissimos quosque dementat ac fascinat: & quod maximum stultitiæ argumentum, quicumque ab auaritia cruciatur, atque idolum hoc aureum supplex adorat, calamitatē in qua agit miser ignorat: ac se omnium credit mortalium sapientissimum: ut merito Plutarchus exclamet, O rem deplorandam! si quis ultra quam satis sit bibat aut comedat, & tamen satiari nequeat, medicos quamprimum consulit rei causam inuestigaturus, & quam ingluuici huius origo sit, quod genus morbi: verum si quis auro coaceruando nunquam satiatur, & quo plus asseruat, eo plus desideret, & inexplebili cupiditate laboret; non ideo peius se in animo habere credit, nec ceteris se deteriorem, sed qua est vesania prudentem, cordatum, ac sapientem esse existimat. O vesaniam helleboro curandam! Quæ-

admodum hydropicis, & humorum copia repletis, nullas medici aquas, nulla humida præscribunt, ne aqua intercus crescat & humores inualecant, sed euacuationes, vomitus, purgationesque: ita quoque ut sua sorte contentus, auarus uiuat & tanto malo liberetur, stomachum calidis illis ac feruentibus affectibus euacuet, & animum inordinatis desiderijs & cupiditatibus inexplebilibus purget oportet. Hinc bene mihi dixisse visus est Philosophorum princeps Plato cuidam congerendarum opum nimium studio, O improbe ne possessioni assidenda studeas, sed minuenda cupiditati. In quo sapienter sanæ Plato consuluit, & alter stulte admodum se gessit, & magna vesania fuit auari huius nostri, qui propter quinq; boum juga aeterna felicitate non tenuit excidere.

Iuga bouum emi quinque & eo probare illa.

IV.

Prauus hic & pestilens affectus adeo mentes excæcat & fascinat, ut mille eis cruciatus & infinita causetur tormēta, ac supplicijs intolerabilibus afficiant. Israelitæ cum Pharaonica feruitute premerentur, per vniuersas Aegypti puincias opere lateritio argillaque deferenda distinebantur, & cum pensum diurnum magno cum labore fatigationeque persoluisent, flagellis etiam eorum terga conseribillabantur. Auari & quotquot sub mundi iugo ac tyrannide versantur, eandem haud dubie fortunam subeunt, toto vitæ tempore possessionibus coaceruandis incumbentes, aurumque quod non nisi lutæum & inane, cupiditate exstimulante ambientes; at cum vitæ vespera aduenit, post infinitos exantlatos labores & difficultates exhaustas, in operis mercedem, à dæmonibus, diuinæ iustitiæ ministris, flagellis subduntur, & omni suppliciorum genere exeruciantur. Porro præclarus hic conceptus ex D. Ioannis Chrylost. Nareticio depromptus est.

Exod. 5.

Hom. 40.

in Matib.

Ut autem & nostra sagittam de promamus pharetra, jure meritoque dicere posse multorum video, auaritiam veterem illam Pandoram malorum esse, quæ sexcenta in mundum mala inuexit, mille tragicos produxit casus, & innumerabilem hominum multitudinem in perniciem & exitium pertraxit. Ipsa quippe

con-

consultrice stimulatriceque Achan lapidatus est, Giezi lepra percussus, Ananias & Sapphira repentina morte perierunt, Iudas suspensio interijt, atque ut funestiora & magis horrenda referam, Paulus Diaconus memorie prodidit, Tyrannum Stiliconem auaricia nota infamem, à militibus suis obessum vitam simul & caput perdidisse; quin & milites manum relectam, hasta suffixisse atque illudendo adstantibus inclamasse, *Dare elemosnam homini auaritia insatiabilis.*

Auaricia
fames est.

Cur avari
semper pal-
leant.

In orat. sup.

Auari leo-
nibus similes.

O passio & furia insatiabilis, & desiderium habendi inexplebile, quid non facere compellis eos, quos tu iugo premis? *Quid non mortalia cogis peiora auri sacra fames?* famem Poeta appellat & merito. Nam ut pauperes, famelicos, & inopes, tristi incedere videas vultu, pallida obambulare facie, & macie confectos suprema, luridos, tetricos, frōte contracta, oculisque liuidis; ita & auros, exsuccos, exsanguis, & gaudij inimicos. Pallidi quippe semper sunt & luridi, quod perpetua anxietate torqueantur, pecunie & thesauro semper metuant, ne forte furis clanculo surripiant. Quamobrem seite rogatus olim Diogenes, cur aurum pallet, respondit, quia multos habet infidiatores.

Ceterum fami comparari solet auaritia, quod avarus & cupidus semper esuriant, nulloque repleti queat auro, aut solida voluptate satiari. Quamobrem bene Gregor. Nyssenus avaros dolijs & abenis obsoletis similes esse pronuntiauit, namque ut illa ob asiduum & quotidianum vsu deteruntur & foraminibus paulatim implentur, adeo ut instar cribri Danaidum, integrum quantumuis Oceanum infundas, ne guttam contineant, ita avarorum cor & desiderium adeo perforatum & tenuē est, ut vniuersum totius orbis aurum non sufficiat, ut compleatur. Multo vero ante tempore leunculis illos contulerat Psalmista, qui propter calorem naturalem, qui cuncta celerrime digerit, & semper aestuat, voraces sunt ut quæ maxime, ut quamuis obuia quæque deuorent, & semper in prædam inhient, semper tamen esuriant & præ fame rabiant: eò e-

Tom. 2. Pars Æstiuæ.

nim loco quo vulgata legit, *Diuites eguerunt & esurierunt*; Hebræi legunt, *Leones eguerunt & esurierunt*, & Paraphrasis Chaldaica, *Catu'leonum eguerunt & esurierunt*. Ut profecto leonini sunt auarj, verum adeo intrinsecus aestuantes, & naturæ tam aridæ, ut quamuis proximi bona deglutiant, obuia quæque deuorent, perpetuatamen fame esurieque emoriantur. Equidem, ut post Item mulis tot illustres senatores meam quoque sententiam velut pedarius in medium proferam, à mulis eos & afinis non discrepare assero; hi enim quamuis cibarijs & comætu in vsu aliorum onusti viam carpant, nihil inde commodi aut voluptatis habent, carduis, vrticis, & scæno vicitantes: ita ad oculum videmus, afinos illos auros, auro & opibus onustos, sub diuitiarum sarcinis & ponderibus gementes, in summa tamen inopia vitam trahere, vestibis obsoletis viti, atque instar muli pecuniam & thesauros non in suum, sed in aliorum vsu, referuare.

Huc etiam percommode facit, quod Pierius l. 16. quodam in loco refert Pierius Valerianus: fuisse nempe olim in littore maris Africæ, haud procul à Scythia Maiori, inter Ægyptum & Lybiam, columnam, hominis figuram inscriptam habentem, cui à serpente læso, inextinguibili siti adurebantur fauces, hinc variæ circumquaque sculptæ erant mulieres, quæ sitim illam aqua restinguere conabantur, quædam enim aquam hauriebant, aliæ ori eandem infundebant. Gemina hæc erat avari figuræ imago, hunc enim mox ut pestilens illa auaritiæ vipera momordit ac pupugit, sitit assidue, & nulla ratione, quamuis flumina & oceanum epotaret, ardorem potis est compescere. Ipsa est serpens, qui mordet & sitim inextinguibilem creat, atque ideo *ὄψις* à verbo Græco *ὄψω*, id est, sitio nomen inuenit? sed procedamus vterius & furie huius naturam indagemus.

Ipsa est vna phialarum illarum indignatione refertarum, quas Ioannes in Apocalypsi in terram effusas vidit. Audiuit ille siquidem vocem è templo, id est, cælo reboantem, quæ 7. Angelis præcipiebat, se-

L. ptem

prem phialas iræ Dei in terram effundi. Primus phialam in terram effudit, secundus in mare, tertius fluuios & fontes infecit, quartus in solem indignationem eiecit, quintus in thronum bestię insurrexit, sextus Euphratem fluuium corrupit, septimus denique vniuersam aeris regionem phiala sua infecit. Septem hæ phialæ per commode septem peccata representant capitalia, & septima Auaritiam. Bene autem septimus Angelus virus suum per aera effudisse scribitur, id est, per auaritiam, quæ inftar chæmalcontis, ex aere viuit, & diuitiis possessionibusque acquisitis vt fruiue nescit. Atque hinc ab Apostolo *idolorum seruitus* nuncupatur, nam vt idololatriæ, teste Ioanne Chrysostomo, idola adorant, eaque præ reuerentia ne tangere quidem audent; ita & avarus aurum nummosque adorat, & præ reuerentia & cultu quo eandem prosequitur, ne contingere quidem audeat, solo recreatur aspectu, & sibi plaudit, simulac nummos contemplantur in arca.

Gal. 5.

Leuit. II.

Quanto porro hodie hocce Deus vitium prosequatur, dici cogitare nequit. Sed figura rem exponam. Quidquid super manus ambulat quadrupedibus, in Leuitico vt immundum a mensa proferibitur: *Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.* Prima quidem fronte omnia hic quadrupedia velut immunda reici videntur, omnes enim quatuor ad incedendum pedibus vtuntur; sed Dei mens fuit ea solum animantia repudiare, quæ manus habent ad humanas quam proxime accedentes, vt vrsa & simiæ, quæ merito vt immundæ reiciuntur, quod monstruosum sit animalia manus hominum referte. Vt hinc porro mysticam eliciam significationem, avarum naturæ monstrum esse crediderim, qui manibus suis inambulet, & manibus ceu pedibus terram tangit, atque ideo immundus censendus, ac monstrum potius quam homo dicendus. Quanam enim immundities, oculos, manus, cor, animam denique totam in terram semper habere definitam.

Huc etiam collimando, & in avaros in-

uehendo, Ieremias tertium exclamat: *Ter. Ierem. 23. ra, terra, terra, audi sermonem Domini*, non semel sufficiebat dixisse, sed tertio ingerminat, primo quod avarus, ad instar reliquorum mortalium, e terra compactus & formatus sit. Deinde quod in terra viuat, super terram agat, omniaque eius desideria, studia, affectus terram spirent & redoleant: tertio denique quod breui in terram redigendus sit; atque vt de avaris eum singillatim loqui existimetis, mox subiungit: *Audi vocem Domini*, eo quod diuites & sanore rem facientes voci diuinæ vt plurimum reluctari & aures occludere consuevere.

Clemens Alexandrinus locum illum Evangelij explanans: *Vulpes foueas habens, & Scilicet. lucres cali nidos, filius autem hominis non habet, in Luc. 9. Sibi caput suum reclinet*; per vulpes denotari credit diuites, sed avaros, *Hos, inquit, qui in effodiendis & insodiendis diuitiis versantur, homines prauos & plane terra filios vulpes Christus appellauit*. Bene profecto, arca namque & repositoria, quibus opes & thesaurum includunt, eorum foueæ sunt, habitacula & spelunca. Atque hunc etiam locum exponens Bonauetura ait: *Beatus qui terre am foueam commutat in aeternam aulam*. Quanta igitur avari nostri dementia & calamitas est, cum quinque boum paria aeternæ beatitudinis diuitijs præponere non vereatur? Atque ita ad lineam redeo.

Saluator noster cum discipulis per Capharnaum in Galilæam transiturus, portorium (à Romanis exigi solitum ab ijs, qui lacum Genesareth vel Tiberiadis nauigaturi conscenderent) rogatus, Petro mandauit, vt retia ad piscandum laxaret, hic igitur proiectis retibus piscem conclusit, cuius in ore numisma reperit (verisimile porro est ita Deum creando præuidisse) quod & in portorium & nulum persolutum est. Per piscem hunc Theophylactus significari credit hominem avarum, qui nihil corde fouet quam aurum, & præter opes nihil ore crepat.

Non est igitur mirandum, si avarus labore delectetur, de bobus loquatur, cœnæ interesse reuauat, cœlum fugiat, & ob augas aliquas

Auarus col-
larus pisci,
quem S. Pe-
trus eduxit

aliquas terrestres & meras inanis beatitudinis gloriam vendit. Huc facit scitum illud Diogenis Cynici apophthegma. Hic enim cum nepotis cuiusdam, qui sua dilapidauerat, domum venalem cerneret, iocans ait, *Sciebam, inquit, p. o. ediem post vini crapulam, domum h. nec euendam.* Idipsum de auaro dicere quid vetat? non esse profecto mirum, si is qui ab auaritia exeditur, & rerum terrenarum ardore aestuat, cœlesti patrimonio pessumdato & profuso, ius omne quod in paternam illam & beatam domum (de qua legimus, *Gloria & diuitia in domo eius*) habet, venum exponat, repudiet & reiciat. Sed video longiori meditatione tædio vobis esse, quare finem hic faciam, & ad aliud vitium delabendo, parabulam & exitium deducam.

V. Tertius qui se excusata causa carnalis. Tertius igitur, qui epulo huic cœlesti renuit interesse, carnalis est, & libidinis mancipium; è verbis illius colligere licet, ait enim, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Unde efficio, fieri non posse, vt qui amoris confectatur, & muliebri detinetur lenocinio, cœlestes inuitationes audire, deque beatitudine cogitare queat. Luxuria quippe & carnalia desideria evidens & violentum impedimentum sunt, ac quodammodo tyrannicum, ne animæ ad sempiternæ gloriæ possessionem aspirent; quod probe perspectum habens Apostolici senatus vertex Petrus Christianos adhortatur, ne impuris mentem amoribus inquinent, dicens, *abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Aliunde etiam exclamat Augustinus; *Inser omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria.*

1. Pet. 2.

Lib de honest. matr. c. 2. Epist. ad Euz.

Melius & elegantius meo iudicio, hoc aperit Hieronymus, *Grandis, inquit, virtutis & sollicitæ diligentia superare, quod natus sis, & in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argentum oculis obseruare, dicere vult, quantum ipse quidem colligere exponendo queo, carnem & spiritum semper inter se digladiari & litigare, iura porro spiritus aduersus carnem & in carnis tribunali tuexi & inter volupta-*

tes sperare cœlestia sequi posse, arduum esse, molestum ac perdifficile. Hic porro quem cernimus amoribus se irretitum, liberare proficitur aliis se rebus vacare non posse, aitque qua est impudentia, *Vxorem duxi & ideo non possum venire.*

Quid? an ne igitur matrimonium impedimentum est? an ne libertati præiudicat? niium & aitate animas illaqueat ac turbat, vt se liberi nimis collere in altum sustollere, aut sanctis rebus vacare nequeant? Plerumque sane quin & A-tuo haud postolus Paulus cuius nostrum suadet, si patiuntur modo virtutis iter ingredi & spiritu colendo incumbere velimus, mulierem non tangere. Ipse vero supperaddo; vinculo illo, & duarum animarum in vnâ carnem copula tam arcte coniugatos vinciri, vt libertatem amittant, vt læ penumero poenitentia, etiam paucis ab inito matrimonio diebus, & animi amarities sequatur. Docuit hoc me Socrates, qui interrogatus à discipulis, fatiutue esset matrimonio illigari, an vero libertate solita frui, similitudine quadam apposita respondit, *Quemadmodum pisciculi nondum nassa comprehensi, circumquaque natitant, omnique ratione concludi gestiunt; alij vero qui nassa inclusi sunt, in libertatem restitui, & enatare cuperent, sed nequeunt: ita vobiscum agitur, Adolescentes, liberi amoris pedicas vident, & impediri gestiunt, impediri vero expediri omni ratione vellent; nam matrimonio contracto, & coniugij vinculo semel inito, omnes eodem dissolui cuperent, & sera sequitur poenitentia.*

Emilius Paulus, referente Plutarcho, *Plutarch. in cum ab vxore diuertere & soluere matrimonij vinculum vellent, omnesque eum confanguinei, proposita ob oculos vxoris venustate, generis nobilitate, parentum dignitate, familiæ splendore; simul & exposita infamiæ nota, qua omnem in bellis partam gloriam, qua vbique terrarum notus erat, obscuraret, variisq; in contrarium adductis in medium argumentis, à proposito reuocaret, & mutuum amorem resuscitare conarentur; ostenso quem recentè induerat calceo aliud non dixit, *Nemo vestrum quæ me parte calceus premit, noñit, id ipse tantum**

perfectio; nam sæpe sæpius effecta rerum exteriori speciei non respondent, nec quidquid splendidum, aureum est; & naturam falsitatis sæpe coarguit speciem externa. Infirmare volebat, matrimonij vinculum sibi adeo molestum esse, magnarumque molestiarum & sollicitudinum causam, quæ nemini potius ac melius quam sibi ipsi cognita sint; nam quæ solutis, rosæ videntur & mellea, coniugatis & vinculo matrimonij ligatis spinæ sunt & fellea.

S. Hic on lib. 1. contra Iovinian. Cicero postquam Terentiæ suæ libellum repudiij dedisset, ab Hircio rogatus, ut sotorem duceret; summam illi gratias egit dicens, fieri non posse, ut quis Philosophiæ simul & vxori operam det: amorem quippe & studia non bene conuenire, nec in eadem sede morari posse iudicabat. Si orator matrimonium Philosopho impedimento esse censebat, quo minus studijs & præceptis Philosophicis vacaret; maiori iure profecto dicemus, ipsum animam spirituales à perfectionis tramite retrahere. Est siquidem onus adeo graue ac molestum, ut totus sub eodem orbis fatiscat; vnde senarius ille Græcorum:

Μίσση γυναικὶ τίφους φίγων γυνή. Id est, *Onus malorum; plenum ipsa est mulier*, sub quo plurimi succumbunt; & quotquot ipsum in humeros sustulerunt, ab eodem eximi & solui cuperent, adeo, ut quicumque vxorio vinculo & compede matrimoniali victus est, libertatem se suam amisisse merito conueniatur.

Philemonis apophthegma. At melius, mea sententia, Comicus Philemon; qui non mirabatur, hominem semelin vita mare conscendere, quoniam omnes nouitatis auidi sumus; at aliquem, cognito nauigantium periculo, denuo mare repetere, admiratione dignum iudicabat: atque ita non damnabat eum, qui semel matrimonium iniret, cum carnis imperus, naturæ ductus, & cæca rei ignorantia eodem nos compellant; sed prima vxore mortua secundam ambire, & molestiarum, sollicitudinumque mare denuo velle repetere, vesaniam & amentiam mentem censebat. Atque omnes hæc gentilium sententiæ alio non tendunt, quam ut

hinc discamus, pertimescendas ac fugiendas esse matrimonij molestias ijs, qui virtutibus ac spiritui colendo exornandoque incumbere satagunt. Testem habemus hie eum, qui ad cœnamagni vocatus, ob vnicam quam duxerat vxorem, venire se negauit posse. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

Quid? si legitima vxor & ex sacramento matrimonij præscripto ducta, sponsum, um virtutibus quo minus cœnæ intersit, impediuit? quid impedit ex concubinam facturam credendum, cuius erciturum occasione tot admittuntur flagitia? si sponsa sponsum ad facinus impellat, quid faciet pellex & meretrix? si casti amplexus maritales; & pudicus amor conjugalis virtutis iter obstruunt, an non potius illicita & impudica copula, & amplexus meretricij? Non inscite, meo quidem calculo, huc trahit S. Augustinus quod de Noe legitimus in Genesi propriæ vitis & non alienæ vino gustato illum inebriatum fuisse, ac nuditatem reuelatâ. Quo signatum mystice voluit, si propriæ & legitime vxoris amor viros inebriat ac mente priuat, meretricios & alienos grauiori nos & euidentiori periculo exponere: An non Eua in gratia & perfectionis statu condita, viro suo Adâ ruinâ fuit occasio, & sanctum illum innocentie statum subuertit? Hoc vobis ob oculos ponite coniugati, simulque perpendite, quam grauis & molesta sarcina sit matrimonij: vxor quippe hic in causa est, quo minus coniugis cœnæ intersit, nullamque aliam absentie causam profert, quam vxorem. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

O effeminatum & mollem! ita te vxorio vinculo stringi, ut quodammodo adores & colas: itane te carnem & mundum amplecti, ut cœlestia amittas? pudeat hominem, ita peccato seruire, & tyrannide illius premi, ita amoribus inescatum & illigatum viuere, ut mancipium ac seruus non liber esse videatur. Abimelech cum lapide à muliere è turti quadam sublimi percussus esset, seseque grauius vulneratum cerneret, armigerum aduocauit, atque, *Euagina gladium tuum, & interfice me, ne forte dicatur, quod à samina interfecisti sim*, Vtinam, vtinam, Christiani.

Stiani virilem hunc animum induerent, sefeque in militia spiritus generosos ostenderent, puderetque illos feminina cadere manu, id est, carnalibus desiderijs, quæ sunt affectus vere muliebres & feminini, succumbere!

David rex, qui ceteris in rebus generosum & heroicum demonstrauerat animum, in hac vna se ipso exstitit inferior: cum enim Goliadas prostrasset, leonum fauces collisisset, toties de hoste trophæa duxisset, victoriaeque insignia plurima retulisset, feminæ succubuit; cuius illum delicti tanta cepit poenitentia ac pudor, vt quoties in mentem ad altera illa veniret copula, vberimas lacrymas gemitibus effunderet. Et sane Psalm. 48. peccata deplorans, conscientiamque excutiens, ac rationem Deo de tota vitæ serie reddendam sibi ob oculos ponens, se ipsum interrogat, *Cur timebo in die mala?* ac mox etiam respondet, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Difficilis profecto locus & salebrosus; nonnulli siquidem per iniquitatem hanc calcanei finale impoenitentiam, & peccata in horam vsq; mortis dilata intelligunt.

Psal. 48.

Matt. 26. Cur iniquitas calcanei appellatur peccatum luxuria.

Fabula moraliter expressa.

Alij vero traditionem, qua innocuum Vriam hostibus prodidit; idque ex mente modo loquendi sacrarum literarum, *Qui misit n. eum manum in paropsidem, leuauit contra me calcaneum*, id est prodicionem. Nonnulli denique designari putant illicitum cum Bethsabea concubitum atque ita peccatum carnis; iniquitatem calcanei nominari, adeo vt, ne hoc vnum præ ceteris delictum timorem illi pudoremque coram diuino tribunali sit incusurum vereatur: calcanei porro iniquitate nuncupat, quod referentibus medicis, e calce pedis vena quædam emanet, quæ sopitos amoris igniculos & cupidinis fomites exuscitet, & stimulos quodammodo inuito subiiciat. Quadrat huc aptissime fabula illa Poetarum, qua Achillem ceteris in membris inuolabilem, à Pande in calce pedis vulneratum produunt. Nihil porro aliud hic denotarunt, quam eum qui cetera vitia cupiditateque superauerat, magnaque animi constantia pessumdederat, libidini tandem victas manus dedisse, libidini inquam qua bestias

potius quam homines superari conueniat. Et profecto carnalis hic, non hominis instar, quem natura ad humanitatem ciuilitatemque efformauit, sed bestie more, inuitanti respondet; alijs quippe duobus modeste respondentibus, excusarique benigne volentibus, *Rogo te, habe me excusatum*, hic, ea qua fuit impudentia & audacia, nullo inuitantis respectu habito, temere & prærupte, bruti instar, ait, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire*: id est, protinus hinc te proripe, neue caput mihi obtundas, alia mihi incumbunt negotia, cœna tua grauiora, atque ita venire nequeo, neq; enim vxoris meæ possum commercium delerere.

Et profecto ita se res habet peccatum siquidem hoc homines in aliam naturam commutat, & ex hominibus ratione præditis bruta rationis expertia constituit: adeo vt in illo scripturæ loco, vbi de Principe Sichem, Dine filia Iacob amore æstuantem, ait, *Simeon & Leuenecauerunt Sichem*, Chryostomus legat, & interpretetur, *fratres Dina necauerunt taurum*. Atque hoc non alia crediderim ratione, quæ vt Spiritus Sanctus nobis omnibus violentiam & impetum amoris, quo lasciuus ille princeps, instar ferocientis tauri, aut catulæ animalis, virginem rapuerat, & magna sui infamia & dedecore tam enorme raptus, facinus admiserat, demonstraret.

Quam enorme vero & detestandum hocce peccatum sit, quamque tetrum & infame luxuriæ crimen, dici aut fingi nequit: siquidem sexta illi phiala, indignationum diuinarum plenæ, quam sextus Angelus in magnum Euphratis fluuium effudisse testatur Apocalypsis, libens comparauero. Ceterum Euphrates perbene peccatum hoc designat, tum quod instar rapidi & æstuantis torrentis libido animas abripiat & vorticibus penitus immergat; tum vero quod aquæ dulces & fluuiales vera voluptatum carnalium imago sint & typus. Propheeta vero Iob ignem vorantem & peccatorum omnium grauissimum appellat: *Si deceptum est, inquit, cor meum super muliere, & ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea, & super ea incurruerunt alij:*

Gen. 34. Libido hominem in brutum commutat.

Apoc. 16.

Libido igni collata. Iob. 31.

hoc enim nefas est & iniquitas maxima: ignis est usq; ad perdicionem deuorans & omnia eradicans genimina: verba autem postrema ex mente D. Hieronymi, ita sunt exponenda, Omnia bona virtutum deuorans, atq; vniuersa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.

Ephes. 6.

Amor impudicus te lo igneo collatus.

Hinc etiam Doctor gentium Apostolus, Epist. ad Ephesios tentationes luxuriæ, tela ignita & sagittas flammis imbutas appellat, *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Per tela autem ignea S. Ioannes Chrysostomus inhonestæ & impudicæ desideria interpretatur, D. Thomas Aquinas concupiscentiam deprauatam: non immerito vero tentationes ad libidinē sagittis ardentibus comparantur; primo quod corpus simul & animam inflament & succendant. Secundo, quod sicut ignis, si quem forte locum corripuit, per vicina quæque bacchatur, & inualefcit; non secus etiam flamma libidinis, cum semel in anima excitari cœpit, quamprimum omne robur hominis consumat & perurat, & ab vno peccato in aliud trahat, quemadmodum incendium ab vna domo in aliâ delabitur. Tercio, sicut parua scintilla contempta magnum sæpenumero suscitât incendium, quo plures interdum domus corripiuntur, sic & minima peccati huius tentatio nisi quamprimum obstaculum obijciatur, magnas in animo libidinosi flammæ ardoreque solet excitare. Atque hoc ipsum est, quod tantopere Propheta Iob metuebat, dum de se testatur: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Notent hoc Veneris illi sacrificuli, & cupidinis mancipia, vt sanctus ille vir firmiter in animo, non dico, non agere, non conuersari, non loqui cum mulieribus, sed ne cogitare quidem statuerit.

Iob. 31.

Dan. 7.

Libido, vt allegorice etiam quid afferam, est crudelis & ferox illa bellua, quam Daniel Propheta nobis describit, carniuora corporum plurimorum vastatrix, adolescentum ruina, mulierum pestis & perniciës, *Ece, inquit, bestia similis vrsi in parte stetit, & tres ordines erant, in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas.* Vera hic imago figura luxuriæ est, vt quæ

similis sit vrsô, nam vt ille melle delectatur, & fauis aluearijsque semper insidiat; sic ipsa luxuria non nisi dulcedinem, voluptates, delicias consecratur; carnis plurimum deuorat, quod vsque ad ossa carnales & libidinosos vt plurimum excedat & emedullet; tres quoque dentium series habet, vt quæ pueros, viros & senes perdat & destruat, omnisque ætatis homines eueruet.

Libido colata bestiarum portentose, quam vidit Daniel.

Ipsa ingenium offuscat, ac densissimas tenebrarum nubes animis obijcit. Hinc Theologorum decus Aquinas quodam in loco ait, ingenij stuporem caliginemque primigeniam libidinis filiam esse, ac primum vulnus quod pellex illa Circe animabus infligit. Ex plurimorum Rabbidorum sententia Sampson Hebraice significat *Sol eius*: quis obsecro, solis huius lumen extinxit? quis facem illam lucidam obscurauit? quis Sampsoni oculos eruit? quis excauauit? vnica meretrix Dalila, quam perdit deperibat. Bene propterea Rustico suo consuluisse, mihi visus est Hieronymus, dum ad eum scribens ait, *famula non tantum nouerint, vultum tuum nesciant.*

1. 2. q. 113. Ingenij stupor primigenia libidinis.

At nondum hic finis. Plura sunt haud dubie libidinis effecta, hominis naturam deprauat, itaque corpus simul & animam destruit, vt huic non nisi ossa & cadauer, illi solam hominis relinquat imaginem. Et licet de omnibus omnino peccatoribus illud Psalmistæ dici queat, *In imagine pertransiit homo,* quod peccator præter solam hominis imaginem & formam, vix aliquid in se hominis contineat; tamen de carnalibus & libidinosi hoc potissimum dici potest: nam in ijs, sola imagine hominis excepta, cetera bestiarum sunt. Atq; huc respexit magnus Patriarcha Iacob in vltimo vitæ articulo constitutus, cum filium primogenitum Ruben, hoc nomine infamem, castigauit. *Effusus es sicut aqua, ne crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Verum vbi vulgata habet, *ne crescas*, alia lectio habet, *ne ascendas*: quo & Chaldaeus interpres collimauit, *Quod huic Ruben, inquit, quia natu maior erat, summum sacerdotium, regnum ac maiestatem debebatur, sed propter sensum turpitudinem*

Solam hominis imaginem libido relinquit.

Psalm. 38.

ditnem ea omnia amisit; tribus enim Levi sum-
mum sacerdotium nacta est, Iudas sceptrum
possedit, & maioratus jus Iosepho delatum.
Adeo ut propter hocce peccatum non solum
jus primogeniturae & maioratus honos, sed
ratio & ingenium adhuc amittantur, judi-
cium pereat, & homo non nisi umbra & ima-
go quaedam phantastica hominis maneat, ar-
que instar statuae sensus expertus. Hinc ubi le-
gimus vulgo in Psalmis, *Coagulatum est sicut*

Psal. 118.

lac cor eorum, carnalium nempe, alij legunt, *In-*
crassatum est velut adeps cor meum. Sensus au-
tem est huiusmodi, cor habent stupidum, ob-
tutum, pingue, brutorum instar, quod sem-
per voluptatibus terrenis & cogitationibus
brutalibus pascunt. Hinc D. Thomas in sum-
ma, libidinem matrem esse ait, quae plurimas
easque perniciosas genuerit filias, caecitatem
mentis, imprudentiam, odium Dei, praecipiti-
tantiam, inconstantiam, amorem proprium,
nimium erga terrena affectum, desperatio-
nem denique perpetuam, filiam primogeni-
tam insinuavit Psalmographus, cum ait *super*
cecidit ignis, libidinis scilicet, *ideo non viderunt*
solem, nec lucidissima quaeque intueri potue-
runt.

Luxuriae
filia.
1. 2. q. 13.
art. 6.

Psal. 57.

Ipsa denique libido vinculum adeo forte
est, animasque tam arte constringit, ut diffi-
culter admodum sese expedire queant, qui
semel impediti ab illo fuerint. Hinc diuina
sapientia in Prouerbij de muliere lasciuia &
impudica loquens ait, *Inclinata. Si ad mortem*
domus eius, & *ad inferos gemitus eius*, omnes qui
ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehen-
dendent semitas vitae. O verba horrenda & me-
tum incutientia! dicere siquidem vult, Quae-
uis est peccatis omnibus, cum semel hominem
in eadem delabi contigerit, difficile sit eme-
gere, sibi que ipse persuadere possit, tot esse
syrtis & abyssos, est quibus peccatores egredi
& emergere, nisi in hinc Deum misericordia
praueinat & opem ferat, nequeant; libidi-
nis tamen peccatum tenacius & pestilentius
esse, & difficulter admodum carnalem in sa-
lutis viam redire, majoraque hic quam in ce-
teris sceleribus conuersionis impedimenta
occurrere. Testis sit hic, de quo modo loqui-
mur, qui quod vnicam uxorem duxerit, li-

Prou. 1.

berum se amisisse arbitrium, sique se juris
non esse confitetur, *Uxorem duxi, & ideo non*
possum venire.

Libido igitur & fornicatio inter gra- Libidino-
uissima referri peccata, cuius dedecus gra- forum fron-
uitatemque veteres perspectam habentes, tibus no-
quo iuuentutem à terra hac peste auerterent, men pro-
eos quasi detestandos, fugiendos & infames, prium in-
signo quodam exteriori notauerunt; adeo scribebatur.
ut in bene institutis rebus publicis, fornican-
tium frontibus, literis grandiuisculis in au-
rea vel argentea lamina exaratum, nomen
proprium affigeretur, ut omnes hocce ma-
lum fugerent, quod extremam vrbibus ad-
ferre perniciem queat. Euidens rei huiusce
exemplum in Apocalypsi legimus, in mere-
trice illa magna & nobili purpura & cocco
circundata, gemmis & auro nitente, no-
menque literis maioribus inscriptum in fron-
te gestante, *Babyl n magna mater fornicatio-*
num. Tertullianus porro libr. de pudicitia
epigraphas has, *titulo voluptatis nuncu-*
pat.

Apocal. 7.

Ipsae quoque Deus mirum in modum
infandum hocce crimen detestatur, simul-
que cupit, ut non re ipsa modo, sed mente et-
iam cogitationeque abhorreamus. Israelitae,
postquam duodecim millium exercitu,
Madianitas fugassent & fudissent, non pri-
us tamen Mose ita statuente, laudem pra-
coniumue aut praedam nacti sunt, quam om-
nes eorum mulieres & pueros, exceptis
virginibus, interfecissent. Ecce decretum,
Iratus Moyses principibus exercitus, tribunis &
coerturionibus, qui vnerant de bello, ait, Cur
feminas seruastis? nonne ista sunt, quae dece-
perunt filios Israel ad suggestionem Balaam, &
prauaricari vos fecerunt in Dominum: ergo cun-
cta interficite. Dupliciter locus hic quan-
tum ad sensum allegoricum, intelligi pos-
test. Primo, nullum illos in caelesti habitacu-
lo triumphum promereri, qui viros & non
feminas jugulant; id est, qui superbiam qui-
dem edomant, auaritiam prosterunt, inui-
diam & iram refrenant, homicidio abstinēt,
furtum vitant, aliaque peccata, quae virilia
videntur, debellantur; at libidinem, carnis
delicias, voluptates corporis, sensualesque
cupi-

Num. 39.

Duplex lo-
cus praecedē-
tis exposi-
tio.

Tria peccati genera.

cupiditates, quæ ad luxuriam referri videntur, non interficiunt. Secundo, tria esse peccatorum genera; quædam ex mera malitia & iniustitia committuntur, quæ proinde grauiora sunt & enormia, qualia sunt homicidia, latrocinia, incestus, sacrilegia, atque illa per viros designantur: alia vero infirmitati adscribenda sunt, vt delectationes sensus, desideria inordinata, passiones intrinsecæ, atque hæc feminina peccata dicuntur: tertij generis sunt, quæ ad ignorantiam spectant, atque horum typus sunt pueri. Multi quidem exterius virtute præditi videtur, quod viros, id est, grauiora peccata delectant & profigent, sed feminas simul & pueros, peccata infirmitatis & ignorantie, viuere sciunt, à proprijs enim passionibus superari se patiuntur. Igitur quemadmodum ij, qui Madianitas bello superauerat & interfecerant, non laudem prius meruere, quam Madianitides & earum pueros deleuissent: ita magnus ille Deus eximiam æternæ gloriæ mercedem dare non solet illis, qui maiora crimina, id est, malitiæ pessumdant, nisi & peccata infirmitatis quorū figura mulieres; & ignorantie quæ pueri designant, eadem opera iugulent.

Peroratio.

Eia igitur, Auditores, ne diutius his immorer, ambitionem deponite, avaritiam exuite, libidinem & carnem pessumdante, atque ad æternæ beatitudinis cœnam properate. Homo qui ipsam præparauit, Christus est; vos vero inuitati; equidem seruus sum ad vos inuitandos destinatus; festinate igitur adesse; excusationes nolite prætere, ne pater ille familias indignatus, nuncios, id est, concionatores & Euangelij sui præcones, ad vltimos mundi cardines, & Antipodas vsq; (sunt hi namque *exitus viarum & sepe*) destinet, qui cæcos, & claudos, & debiles, aliosque innumeros, id est, Sineses, Lapones, Brasilijs, Indos, atque alias gentes & numero infinitas, & feritate barbaras ad cœlestem illam cœnam cogant.

At quoniam tu clementissime Deus ad maiestatis tuæ gloriā, & amorem quō homines prosequeris demonstrandum, magnam illam æternæ beatitudinis cœnam, in qua sempiterna voluptate animas reficeret, adornaris; & epulum illud solenne, quod cœ-

næ nomine ideo vocatum est, quod vltima sit refectio, in felicitatem & gaudium nostrū, ad vitæ, velur diei, terminum referuatæ præparatis, epulum inquam ad quod jam inde à pueritiæ aurora, ad senectutis vespem, tot inuitationum generibus, afflictionibus, miraculis, alijsque infinitis nos modis, inuitare non desinis: fac obsecro, vt inuitationes hæc non sint frustra, nec easdem surdis auribus excipiamus, neue imitemur stolidos illos & temerarios, quos Euangelium depingit: ne inquam ambitio, auri sitis, desideriaque carnalia, tam præclaram nobis è manibus occasionem fortemque excutiant: ne ob villā magna illa ciuitate cœlesti inquam Ierusalem frustremur; ne propter boum juga quinque, & arationem illam angustam, patentes illos cœli agros, quorum fines metiri, cuiusq; termini arari nequeunt; denique ne ob numium erga vnicam mulierem affectum, amorem ac beneuolentiam filiæ illius cœlestis, beatitudinis inquam sempiternæ, ad quam nos Pater simul ac Filius, cum Spiritu Sancto pariter deducant, amittamus.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. *Detractores seras esse pessimos.*
- II. *Quod Saluator & Calumniator sint opposita.*
- III. *Fugiendo: esse detractores inoppositis.*
- IV. *Quod benignitas aduersus maledicos sit opponenda.*
- V. *Cur benignissimus Iesus perditos quæsum veniat.*

Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum. Luc. 15.

FIGVRA.

Legimus in Numeris, Mariam & Aarōnem, detractionibus & occultæ maledicentiæ assuetos, simul in fratrem Moysē in